REGNUM LAPIDEUM.

Fuisse HUMOREM rerum initium *Aquamque* Terrae primordium, e quo surrexere omnia, teste Mose, Thalete, Seneca, manifestatur, dum chaoticum Nucleum inundans Mare genitum in se foetum lente enititur in *Continentem*, quam, exhalando continuo *Rorem*, in *Nebulas* elevandum, imbribus aethereis rectificatis deciduis quotannis lactat. *Cataclysmi* universalis certa rudera ego nondum attigi, quousque penetravi; minus etiam veram *terram adamiticam*, sed ubique vidi factas ex Aequore Terras, et in his mera *Rudera* longinqui sensim praeterlapsi aevi.

AQUA oceani humida, frigidula, passiva, concipiens, ubique foecundata a sicco, calescente, activo, generante AERE, observatur in sinu suo intimo praegnans gemino Foetu:

Masculo solubili, acri, claro, crystallino SALINO,
Femineo fixato, viscido, opaco, attractorio TERRENO.

Privignos insuper duos VEGETABILEM et ANIMALEM, seminum catena continuandos, enutriet haec Aqua: Hi ambo in terram reducentur perenni circulo, dum etiam horum haeres erit nutrix Noverca.

SALIA sapida, polyedra, diaphana, multiplicativa, solubilia in particulas minimas infinitas, nihilominus semper conformes, concrescentesque iterum iterumque in majores etiam conformes, generant crystallisando, in et ex *terris* variis, varios Lapides:

NITRUM	Aëreum,	obducendo	auget	*Arenam.*
MURIA	Marina,	corrodendo	attrahit	*Argillam.*
NATRUM	Animale,	resudando	coagulat	*Calcem.*
ALUMEN	Vegetabile,	ramificando	ferruminat	*Humum.*

Sic PATRES *Lapidum.*

TER-

Pholades *inhabitant mare mediterraneum, intra rupium parva foramina, per quae adultiores egredi nequeunt, et quidem ad ipsam maris superficiem, nec ultra, ut fluctus hauriant; cumque etiamnum vivae ibi haerent, et reliquerunt sua foramina cum emortuarum testis, ante secula rupibus inclusis et insculptis, et quidem usque in altissimas Italiae alpes, testes hae sunt locupletissimi aquae subsidentiae.* Confer Donat. Act. angl. 1757. n. 50. §. 11.

TERRAE pulvereae, ficcefcentes, diffolubiles, fixae, primitivae,
Cryftallifando generatae, aut *Praecipitando* prognatae;
Acefcendo progenitae aut *Putrefcendo* renatae,
e quibus *Cryftallifando* f. *Attrahendo* Lapides renafcuntur, et hi iterum iterumque in Terras elementorum varietate refolvuntur, regeneranturque, circulo itidem perenni:

ARGILLA Praecipitatio MARINAE aquae vifcidae:
Opaca, plaftica, friabilis, induranda, apyra.
ARENA Cryftallifatio PLUVIALIS aquae turbidae:
hyalina, exfucca, fcintillans, perfiftens, vitrefcens.
HUMUS Refolutio VEGETABILIUM acefcentium:
nigra, bibula, pulverea, flagrans, combuftibilis.
CALX Refolutio ANIMALIUM putrefcentium:
albida, abforbens, farinacea, penetrabilis, effervefcens.

ARGILLA Terra aquae Marinae, Muriae olim oppofita, fordida, vifcida, lubrica, impalpabilis, amorpha, tenax, Colore opaca, Humido plaftica, Solo naturali madida, Siccitate friabilis, Ignitione induranda, Uftione apyra, at ex mifcela heterogenea in igne polymorpha, ficcata diutius compreffaque induratur in rafile *Talcum*, quod refolutum regeneratur faepius in fibrofum *Asbeftum*, at vero intime refoluta mire recrefcit in fquamofam *Micam.*

ARENA Terra aquae Pluvialis, Nitro aethereo impraegnatae, nitida, fixa, rigida, fcabra, cryftallina, disjuncta, Colore hyalina, Humido exfucca, Chalybe fcintillans, Ignitione perfiftens, Uftione determinata vitrefcens, rejecta ad continentem ficcataque pellitur *Arena mobilis;* haec antiquata friabilis demum evafit *Arena Glarea;* utraque fubterranea madens, oblique transverfeque fiffa, cryftallifationis atomis ulterius connectitur in *Cotem*, mixtave peregrinis humofis ferruminatur in *Sabulum*, et hoc dein in varios *Lapillos*, lapillique in *Saxum*, at vero refoluta recryftallifataque conficit *Quartzum.*

Natura *aequilibrat univerfum rerum Difcordiis.*
AQUA *humida, vifcida, attractiva*, ARGILLAE.
AER *ficcus, acris, cryftallinus*, ARENAE.
ergo *attractio* e vifcido, *cryftallifatio* e fale:
accedit *fermentatio* Vegetabilis, *putrefactio* Animalis.
unde Acidum, inde Alcali.
primum Solidum ponderofum, Igneum leve eft.

HUMUS Terra Vegetabilium, Nitri amasia, acescens, Colore nigra, Humidi bibula, Fractura friabilis, Siccitate pulveracea, Ignitione flagrans, Ustione combustibilis, haec diuturna compressione induratur in fissilem *Schistum*, qui passim bitumine saturatus evasit *Lithanthrax*; resolvitur vero Schistus non raro in terrestrem *Ochram*, regenerandam multiplicativa mineralisatione in *Tophum*.

CALX Terra Animalium, Natri conjux, alcalina, Colore albida, Acidi absorbens, Rasione obsecundans, siccitate farinacea, Ignitione penetrabilis, Ustione effervescens, calcificans peregrina Humosa Argillosaque in *Marmor*; at resoluta saturataque acido recrystallisatur in *Gypsum*, acido, sine igne depuratorio, amplius non effervescens; utrumque ab elementis resolvitur in farinosam *Cretam*, aqua aetherea, teste Echinita, concrescentem in *Silicem*; at resoluta, teste Stalactita, recrystallisatur in Spatum.

Sic MATRES *Lapidum*.

LAPIDES e Terris concrescunt, resolvuntur iterum, recrescunt:

			Resolvitur		Regeneratur	
ARGILLA	attrahitur	in *Talcum*,		in *Lithomargam*,		in *Amiantum*.
ARENA	accrescit	in *Cotem*,		in *Sabulum*,		in *Saxum*.
HUMUS	ferruminatur	in *Schistum*,		in *Ochram*,		in *Tophum*.
CALX	coagulatur	in *Marmor*,		in *Cretam*,		in *Gypsum*.

LAPILLI *Diaphani* e Matre fluida, uti e fixa *Opaci* surrexere, Tincti saepius alumine Vitriolico, colore varii e Vario; his replentur et consolidantur rupium vulnera cum Cicatrice.

MICA concretio Argillae, squamosa, flexilis, opaca, nitens, ignitione rigidior, sed nitidior evadens.

QUARTZUM crystallisatio aquae elementaris, pellucidum, durum, e cavitate aquosa rupium, ideoque semper parasiticum, obscuratis saepius crystallis motu s. copia.

SPATUM crystallisatio Aquae calcariae, diaphanum, fragile, cujus rhombos internos a diversa crystallo gnarus distinguit; marte adulteratum evadit durius chalybeque scintillans.

CRYSTALLI lapidosae in et ex Aqua, sale impraegnata, nec saturata, atomis terrestribus impalpabilibus scatente, in cavis lapidum retenta, exsurgunt quiete et mora; nec iterum aqua solubiles in atomos impalpabiles. Figura polyedra differunt a reliquis omnibus lapidibus nec alia gaudent, quam salibus popularibus propria, quae crystallisationis unica caussa naturalis hodie nota, nec talia figuram determinarent, nisi simul incorporando. *Stalactites* sic accrescit tunica crystallina, uti *Calculus*, at sine ullo sale crystallos existere nemo postulabit, et terram salibus crystallisari sanus nemo dubitabit; harum

rum Pelluciditas ab atomis, Color autem a Metallis; Gemmarum a pelluciditate, duritie, persistentia, colore pretium, impotentis itaque humanae libidinis offuciae.

VITRIOLUM aluminis natum, Metallo maritatum, varium exsurgit et Figura gaudet diversa pro indole cujuscunque metalli; hujus tres frequentissimae species: *Ferri*, *Cupri*, *Zinci*; illorum totidem vulgatissimi fiunt sulphurei *Pyritae*, horumque totidem frequentiores evadunt terreae *Ochrae*. Pyritae itaque diversi diversam assumant Figuram; horum terra, in quam resolvuntur, vulgo audit *Ochra*, quae enim e Ferro *lutea*, ustulata vero fit *rubra*; quae autem e Cupro ex acido *viridis*, ex alcali *caerulea*, inde lapides *Lutei* et *Rubri* plerumque e Ferro, uti lapides *virides* et *caerulei* plerumque e Cupro, utraque ochra crystallisando coagulat terras in *Tophos*.

METALLA supradecomposita constant e *Terra*, *Sale*, *Sulphure*. Ferrum ubivis praesentaneum, saepe solvitur ab elementis, soluto scilicet sale vitriolico, praecipitataque terra ochracea; Ferrum crystallisando ferruminat Terras in lapides, absorptum multiplicatur metallo, ut vidi in littore, *) sic multoties plus producit, quam primitus acceperat. Stagnans ⊕ in rupium aquam retinentibus fissuris transit aetate multiplicatum praecipitatumque in venam, quae transverse dissecta, fissuraque repleta terra peregrina mutabit illico metallicam ibi venam in diversam, ut ex Ferro Cuprove saepe Plumbum Argento dives &c. Vena n. una eademque variabili modificatione scatet, saepeque ○, ⊕, ∞, 🜍, ♂, ♀, ☉, ☽, ♁, ♄, ♃, w.

SAXA rupestria, solidissima, profundissima, vastissima, maxime longaeva, tanquam telluris eminentia ossa, ex Arena, Sabulo, Lapillis, Lapidibusque concreta, immixtis passim argillaceis, evadentibus saepius Talcosis, ferruminata demum in solidiora, repletisque interstitiis, crystallis Quartzi, Spati Micaeque varie et temere mixtis; haec Temporis natos esse ob strata naturae nullus dubitet, ob partes vero eorum constitutivas nullus non palpabit. Metallurgi inprimis scrutantur hac Minerarum matrices, ex miscela polymorphas, in igne diversas.

PETRIFICATA, Marmoreorum montium verius parentes quam nati, tot possibilia, quot Animalia Vegetabiliave consistentiora; Sapiens itaque coarctet minus fructuosam Scientiam, ignotos tamen hodierni orbis incolas non susque deque habeat. Modi petrificationis quadru-

*) Tophus marinus.

quadruplices praeprimis obſervantur: *Foſſilia*, *Redintegrata*, *Impreſſa*, *Transſubſtantiata*, ita frequentia in *Marmore*, *Silice*, *Schiſto*, *Cote*, ac inviſa *Apyris*, *Saxo*, *Quartzo*, *Spato* extero.

PARADOXA varia etiamnum ſepoſuit artis calamitas:

FISSURAS Rupium conſolidatas clare diſtincteque vidimus, at quae vis valuerit eas frangere, non attigi.

SPATUM omne cryſtalliſando genitum ex cavis repletis perſpexi, nec, ſine rhombis, autorum Spatum unquam concepi; at cur in rhombos frangatur, non ſatis intellexi, aut quomodo e cubico-muriatico rhombeum evaſerat.

AMIANTUM e terra Talci regeneratum vidi, at cauſam non intellexi.

MOLYBDAENUM metallicum eſſe dubitare non potui, Zinco ſaepe praegnans aut Stanno a variis didici, an mere tale non credidi.

JUDAICOS lapides e corpore cavo petrificata eſſe perſpicio, cum Spato, e fluido generato, ſaepe toti conſtent, at e quo animali orti ſint, me prorſus fugit, quum Echini non mihi ſatisfecerint.

SALIA primaria gaudent propria et determinata figura, ſed mutata ſaepius exoriuntur in diverſam etiam determinatam; at ex qua miſcela propria aut mixtura aliena terrena nondum perſpexere Halurgi. Cumque Metalla ex ſale generantur cryſtalliſando, fruſtra in Metallorum veram transformationem deſudarunt Alchemiſtae, quamdiu haec ſalium metamorphoſis etiamnum lateat, quam adeo neglexerunt Metallurgi, ac in terrarum indole toti fuere.

STRATA Telluris *) ex ruptis montibus conformia ſaepius vidi, nec tamen dixero omnia ejusdem generis eſſe et pelagica:

1. infimum e *Cote*.
2. ſecundum e *Schiſto*.
3. tertium e *Marmore*, nidulantibus Petrificatis Pelagicis, ſaepe etiamnum peregrinis.
4. quartum e *Schiſto*.
5. ſupremum e *Saxo* rupeſtri, ſaepe vaſtiſſimo.

OCEA-

*) Strata terrae *varia*, *aequali ordine et diſtantia conſtanter obſervantur*, *ideoque et haec ſoli accretio*, *tam bene diſtincta*, *multorum ſeculorum potius*, *quam communis cataclyſmi tumultuarium et turbulentum opus cenſeri debeat*. Ramazz. mut. 279.

OCEANUM Matrem Telluris esse nullus non videre potuit:

a. *Imbribus* nitrosis turbatur, praecipitatur et crystallisatur aqua maris in Arenam, maris fundum obtegentem.

b. *Fuco natante* Pelagus passim latissimeque obducitur, unde *quies* aquae, non obsecundantis variabili vento.

c. *Humus* emortui Fuci b) sensim descendit, arena a) levior, dum pergit Fucus b) in pratum natans concrescere.

d. *Vermes* pelagici: Mollusca, Testacea, Litho- et Zoophyta, Piscesque natantibus ovis, Avesque compeditae impennesque sub prato Fucoso pelagico c) pascuntur.

e. Pacata sub aqua b) depluit sedimentum Argillaceum, cum sensim emortuorum vermium testis d) calcareis usque in cumulum altum superficiei maris proximum, dum pressio excitans aquam b) depellat pelagica d).

f. ad Scopulum formatum, ex sua lege, rejicit Mare inprimis Fucos copiosos varios, in *humum* deliquescentes, usque dum nuda terra inferior *arenacea* a) emineat, quae siccata volitat, mixtaque in sabulum saxaque concrescit.

g. Seculorum dein longiori aevo, temporumque perenni quiete.

1. concreta *Arena* a) in *Cotem* 1) varie sed proprie fissam.
2. ferruminata *Humo* c) in *Schistum* 2) lamellosum, combustibilem.
3. indurata *Argilla* e) in *Marmor* 3) a vermibus coagulatum.
4. ferruminata *Humo* f) in *Schistum* 4) superiorem, modo priore.
5. concreta *Arena* f) in *Sabulum* 5) immixtis peregrinis.
6. hoc dein in Lapillos, et hi in Saxa, haec in Rupes, subsidente demum lente maris aqua evasit *Mons;* nec potuisse altissimae Rupes 5) natasse supra Argillam, dum, antequam calcificaretur, vermes pelagici in ea adolescerent, ideoque et Rupes saxeas altissimas aevi veros filios esse, dum omnia obmutuere, ipsi loquantur Lapides *) *tantum aevi longinqua valet mutare vetustas.*

SPECIES saepissime vix ac ne vix quidem sufficienter determinari queunt, cum in his genesis ex ovo omnino nulla unquam existat, sed multiplex mere ludentis naturae polymorphae varietas sit et calamitas ipsius artis et Metallurgiae fundamentum. Species itaque heic, qui laboriose perperam multiplicaverit, aeque ignarus est, ac ille, qui omnino discordes combinaverit; nec Matrix in his magis diversas species distinguit, quam in plantis Terrae, Stationes aut solum natale, adeoque in Lapidibus plerumque merae sunt *varietates*, in quibus caecutientes errare certant.

VIA

*) Luc. XII. 40.

VIA triplex tantum per Regnum Lapideum curiosos ducit: PHYSICA, quae descendit per Lapidum obscuras *Geneses*. NATURALIS, quae excurrit per Lapidum apricas *Structuras*. CHEMICA, quae adscendit per Lapidum destructivas *Analyses*. Mediam itaque nunc, ut semper, tutissimam ibit Tyro, sequendo ubique arctissime suum filum ariadneum, ne semioticen cum therapia confundat Empiricus, nec a deperditis atavis saepe dubiam repetat progeniem, minus panophobus fingat in tenebris imaginarios manes, aut stolide e cineribus regenerandum Poëtae Phoenicen; discat, quae repugnent conveniantve nomina rebus, sciatque characteres definiri diagnosticis, nec Etymo. Haec nec ultra, ne obscurus videar obscurioribus.

In manibus terrae, non hic te carmine longo
atque per ambages et longe exorsa tenebo.

SYSTE-